

876

MISCELLANEA EX VTRQVE
Iure Theoremata ardua & spinosa.

QVÆ
D. O. M. M.

A U T H O R I-
TATE, APPROBA-
TIONE, ATQVE PERMISSV
TOTIVS AMPLISSIMI COLLEGII
IVRIDICI IN ARCHIEVCALI FLOREN-
tissimâ ac peruetustâ Friburgensium
Academia.

P R A E S I D E


NOBILI, CLARISSIMO, CON-
SVLTISSIMOQ. VIRO D. SIGISMVNDO
VVITTVMB I.V.D. IMPERIALIVM INSTI-
tutionum Professore ordinario : Nec non pro
tempore Facultatis Iuridicæ DECANO
spectatissimo.

*Pro gradu Licentia in vtrq. Iure obtinendo, publicè
propugnabit ad Februarij diem, loco,
horisq. solitis.*

M. IOANNES CHRISTOPHORVS
MEZGER HEYGERLOCENSIS.

F R I B U R G I B R I S G O I A E.
Ex Typographo MARTINI BÖCKLERI.

Anno M. DC. IX.



FRATERNI SAN-
GVINIS ET AMORIS ERGO,
HÆC THEOREMATA IVRIS ARDVA

& spinosa, pro Laurea defendantि, fratri
germano, applausit

Epigrammate.

Eirma doces stabili connubia iungere nexu,
Quæ nunquam, vel vix omnia acerba parent:
Hinc ritè hos iungi de præsenti: hosq; futuro:
Hos purè: hos vel sub conditione negas:
Hæcq; metu iusto sponsalia pacta aboleri;
Illa patris vanum non abolere metum.
Sed violare fidem cunctos: & ludere; turpi
Illudi faciles conditione vetas.
Iustitia ut merito desponsum se tibi iactat;
Sic clarà clarum, laureà auere cupit.

Othmarus Metzger.



ADMODVM REVERENDO, ILLVSTRBVS AC
GENEROSIS D.D. CAROLO BARONI A
VVOLCKENSTEIN, DOMINO IN TROSTBVRC,
nobilissimi ac laudatissimi Ordinis Theutonici, Equiti,
Commendatori inclito in Heilbrunn & Hor-
neck. Sereniss. Max. Arch. Austriae
Camerario &c.

NEC NON

D. D. CHRISTOPHORO FRANCISCO BARONI A VVOLCKENSTEIN, Dn.
IN TROSTBVRC, S. CAES. MAIEST. CONSILIARIO
amplissimo, &c. Fratribus Germanis, D. D. fautoribus
ac Patronis suis benignissimis, gratio-
sissimis. S.



YRVS ille, quem à cane nutritum accepimus,
Admodū Reuerende, Illustres ac Generosi
Barones, grandiori aetate iam prouectus, cum
Regnū Assyriorum à Medis occupatum, ad Per-
sarum Imperium reuocare vellet, Persepolim vr-
bem ingressus, à populo cum securibus praesenti,
syluam via circumdatam excindi iubet: postridie vero lautum ijs qui
laborauerant, conuiuum parari mandat, quos, cum iam, mero inca-
lescente, alacriores factos videret, rogat, si eorum optio sit eligendi,
praesentes epulas, aut hesternum laborem, utrum malint. Cum uno
ore praesentes epulae exoptarentur, subiicit, quamdiu Medis parebitis,
similem peracto labori vitam agetis, si me sequi decreueritis, epulis
bodiernis: quo dicto cunctos ad bellum Medis inferendum reddidit

EPISTOLA

alacriores, usq; adeo facile est, hominum animos ad eam rem adducere, quam specie ad inspiciendum proposita, vel utilem sibi vel maxime necessariam esse iudicarint; eodem planè modo, quo Cyrus Rex ille populum istum ad epulas, me Regina Iurisprudentia, studijs Philosophicis abhinc quinque circiter annis, ad finem optatum perduxit, ad legalis disciplinae cognitionem, inuitauit, epulas profectò omnium iudicio lautiores, in quibus Philosopho teste, salus Ciuitatis est posita;

Aristot. 1.
Rhet. 1.

reddidit & me alacriorem, quod, quemadmodum cuilibet artifici, artem quam profitetur, ignorare est indecorum, ita etiam homini politico & in ciuili societate versanti, non modo turpe, verū etiam longè damnosissimum, ciuilis scientia esse expertem, animaduerterem; experimur enim quotidie eos, qui iuris præceptis non sunt imbuti, in granem iacturam non modo bonorum, verum etiam honoris & vite, incurrire solere non raro, contrā vero, qui iuris ciuilis scientia animos suos excoli curarunt, non modo ab eiusmodi damnis persequerare tuto, verū etiam ad maximos dignitatis gradus prouochi videmus, & iure profectò, tanta enim legalis scientiae vis, tanta eius est necessitas, vt vel ea à Ciuitate recedente, statim subsequatur rerum omnium confusio, iudiciorum vincula refellantur, potentiores crudeliter & superbè dominantur, imbecilliores impie deprimantur, omnis denique vita, belluino potius ac ferino quam humano more, degatur; at, ubi sanctissimarum legum splendor affulxit, statim è medio tollitur, omnis improbitas & Regina virtutum, regnat Iustitia, quod & ipsum ipse eloquentiae parens Cicero testatur, cum non minus vere quam eleganter inquit: mens & animus & consilium & sententia Ciuitatis posita est in legibus, vt corpora nostra sine mente, sic Ciuitas sine Lege, suis partibus vti non potest.

Pro Aul. &
Cluentio.

Quæcum ego, partim etiam aliorum consilio commotus, ita esse viderem, in hac potius diuina legum scientia qnam in alijs, tum priuato domi, tum publico studio, mihi elaborandum esse statui; Verum, vt res omnes alias, è quibus maior utilitas proposita est mortalibus, multis difficultatibus natura circumsepsit, sic huius quoque tam nobilis disciplinae non nisi plenissima laboris & difficillima est perceptio, hinc usum tam frequentem, & labores exercendi tam assiduos, desiderat,

DEDICATORIA.

desiderat, hinc ea quæ tum domi & in umbra, tum publicis lectionib.
addiscimus, in lucem & apertum quasi agmen producuntur, hinc tam
vehementes Iureperitorum conflictus, ut grauibus verborum tormentis,
multisq; argumentorum fulminibus tota sape auditoria, non sine
maximo Auditorum emolumento, hinc inde personare audiuntur.
Cuius rei utilitate, collegij Amplissimi Amplissimorum Antecessorum
Iuris, in quo iam aliquandiu versatus, authoritate, permisso
& approbatione commotus, in campum mihi prodeundum, rationemq;
studiorum meorum reddendam esse censui. Conscripsi igitur ad hanc
rem è difficultissimis sane & obscuris Iureperitorum materijs theses ali-
quot, & quoniam, diu multumq; anxiè mihi cogitanti, qnaratione,
vestris. R. & Ill. G. G. animi mei gratitudinem & omnibus in rebus
obsequendi cupiditatem, pro illustri, singulari vestra liberalitate &
eximia in me benevolentia, contestarer; occurrit tandem commodius
id fieri non posse, quam si publica hac licet per exigua, significatione,
gratam meam mentem & acceptorum iam pridem beneficiorum me-
memoriam, aliquopia obsequio, reuerenter ac demissè testata ficerent,
& futuri fiduciam promptitudine voluntatis alere ac demereret, toto
pectore incumberet, ubi si non potuerim, quod volui, quod possum
voluisse, sufficiat, neque id modò data & accepta beneficia postulant,
sed & oblata me eò impellunt non aliter, quam arbor pomis grauida,
quæ ramos demittit & quasi ad carpendum inuitat. Quod cum ita
sit, cumq; tot modis VV. GG. usq; adeò obstrictum me esse non ne-
sciam, ut non dicam paria facere, sed nec lingua, stilo mente concipere
possim, profectò, thesum mearum protectorem ac patronum aquo-
rem, nec si voluisse, potui, nec si potuisse, debui, quam nominis
vestri splendorem expetere: accedit, quod penè notum est omnibus,
assertiones huiusmodi iuridicas, potissimum Magnatibus ijs deuo-
uendas esse, qui à teneris, ut Graci aiunt, vnguiculis, artibus libera-
libus se se ac scientijs mancipassent, at G. G. V. V. ita ab ipsis incu-
nabulis huius ritæ rationem instituisse, & præclarissimas fortunæ do-
res, quibus abundatis, generisq; vestri illustris, antiquissimam origi-
nem, quibuscumq; laudatissimis humanitatis & virtutum studijs ex-
ornasse, facentur uno veluti concentu omnes qui G. G. V. V. saltem

EPISTOLA

norunt, ut magno cum emolumento Reipub. maximarum rerum administrationem vobis committendam fore arbitrati fuerint, quorum alterum nobilissimi Theutonici Ordinis proceres, alterum S. Ces. Maiest. confessorium, vltro mecum testantur; neque id me porrò latet, in more positum esse plerisque, qui sua, summis dedicant viris, prolixius in ipsorum laudes excurrere, sed cum G. G. V. V. non solum grauitas, verum etiam singularis, ac generosis viris digna modestia, qua velut in os pronuntiantas laudes auersari solent, optimè mibi perspecta sit, itaq; supersedeo, hoc unum exoptans, ut multi vestrum, in antiqua religione defendenda feruorem, in reliquis virtutis integritatem, vestrasq; heroicas animi dotes imitarentur. At mores vestri qui sunt? Non melius quam poetæ verbis descripsierim.

— Fœcunda quies utriusq; Serena
Fronte grauis, sœuusq; decor, luxuq; carentes
Deliciae.

Fœlices animis, fœlices Iudicio, virtus & prudensia utraq; in
utraq; clara,
— quæ nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Quod igitur reliquum est, deuotissima mente, & quam possum
G. G. V. humillimè oro, obsecro, ut pro sua quicq; innata in omnes
clementia, proq; suo animi candore & excellenti humanitate, hunc
meum qualem qualem legalis scientie partum, æternæ æternum ob-
servantie meæ pignus, sub amplissimi nominis sui splendore, velut
tutelari Numine in publicum euagari sinat, & serena fronte aspicere,
acceptare, offerentisq; animo considerato, munera tenuitatem, volun-
tatis meæ, quæ profectò maxima est, sinceritate dimetiri, & authori-
tatis suæ scuto contra quosque gigantes & maligni liuoris dentem
defendere, eum, meq; totum gratiose sibi commendatum habere nun-
quam defistat. Dignum sane vestra virtute & magnanimitate,
etiamsi cuperem, non possem, at quod possum, dedi operam, ut aliquo
modo conquererer, & quia Xerxem Persarum Regem dixisse solitum
aceperimus, non minus regium esse, parua & exigua libenter ac prom-
ptè acceptare, quæ magna conferre, ideo gratiam vos facturos spero,

DEDICATORIA.

ut videam, gratum G. G. V. V. fuisse hoc exiguum & chartaceum
meum munusculum, non à sui pretio, sed accipientium affectu.

DEVS TER OPT. MAX. G. G. V. V. perpetuò saluas
& incolumes conseruet, passim & ubique felices & secundos largia-
tur successus, id ut in votis habeo, ita & mente recolere, & à S. S.
Triade nunquam petere desinam. Friburgi Brisgoiae 16. Februarij.
Anno post Serpentem ligatam 1609.

R. & III. G. G. V. V.

deuotissimus.

M. Ican. Christophorus
Mezger.



DOCTISSIMO DO-
MINO IOAN. CHRISTOPHORO
METZGER, APPLAUDIT PRISTINÆ
memor amicitiae Gulielmus Binner,
L. L. Stud.

Migrasse terris addita cœlo dicitur
Astræa, sed valde ambigo.

Nec credo, nec enim muta nobis est Themis
Aut redijt, aut nunquam absuit

Nam si absuisset vel redijisset hoc die,
Spectare Iudicem suum.

Sub Iudice hoc contracta matrimonia
Vel eriguntur vel ruunt.


Quid firmet & quid matrimonia dirimat
Sub Iudice hoc ostenditur.

Quin imò donat & dotem quoq; numerat
Quid, nescio, desiderem.

Ex Iudice isto mox reor sponsum fore
Nec credo fallet opinio.

Astræa si redijt, redijt huic Iudici
Quod si adfuit, huic adfuit.

Fauebit illa sposo non dubito, & simul
Sponsum fauebit: Gratulor.



THE S I S I



VM quæque animantia naturæ instinctu in
vsum matrimonij ferantur, (A) illudq;
non solum inter Christianos, verum etiam
apud Ethnicos verè contrahatur, (B) effe-
ctum est, vt id iure nostro latislimé fuerit
pertractatum; (c) quare nonnulla huius
farinæ, quæ aut ex decreto Concil. Trid. Saluberrimè immu-
tata, (D) quæq; hac in re scitu potissimum dignæ, adnotare,
thesibusq; nostris inserere lubet.

(A) *L. I. §. ius naturale ff. de iust. & Iur. (B) c. quanto c. gau-
demus ext. de diuortiis. (C) facta enim eius prima institutio in pa-
radiso terrestri Gen. I. 8. & 9. (D) sess. 24. de reform. matrim.*

I L

Etsi verò omnis quæ à ratione suscipitur, de re aliqua
institutio, à definitione proficiisci debet, (A) vt intelligatur
quid sit id de quo disputatur, nos tamen eorum definitioni-
bus missis, ad alia progrediemur, quamvis passim apud DD.
promiscuè sponsalia sortiri nomen matrimonij, inficias non
eamus. (B)

(A) *Cic. I. de offic. (B) c. 2. c. fin. ext. de sponsa duorum communi-
ter vero DD. sponsalia, mentionem & re promiss. futurar. nupt.
nominant, matrimonium vero, maris & fæminæ coniunctionem,
individuam vitæ consuetudinem retinentem. c. I. §. I. 27. q. 2. L.
I. ff. de nupt. coniunctionem autem accipimus animorum non cor-
porum, nuptias enim non concubitus sed consensus facit: per vulg.
Iur. consensus autem talis sufficit qui est in vsum coniugalem ex-
pressus vel tacitus, vt inter D. virg. & Ios. illa enim virginitatem*

THESES IURIDICE.

suam diuinæ dispositioni committens, consensit in copulam non appetendo illam sed diuinæ inspirationi, in utroq; obediendō c. Beata Maria 27. quæst. 2. c. 3.

III.

Hinc prima se se nobis offert quæstio, quibus nam verbis sponsalia & quibus matrimonium contractum censematur? Nos verbis ijs quibus ad futurum matrimonium consensus promittitur, sponsalia, (A) quibus vero præsens coniugalis consensus significatur, matrimonium contrahimus. (B)

(A) *Ioan. Schneid. instit. de spons. n. 3. & 5. hanc distinct. improbat, eamq; Iuriciuili incognitam, ac Lutherò displicuisse ait, & quod plus est, affirmat matrimonium esse, quibuscumq; verbis fiat promissio, in quo vir doctissimus aut grauiter errauit, vti patet ex L. non sine C. de bonis qua liberis. & L. I. C. d. si nupt. ex rescript. aut odio in Pontif. cōcepto id euomuit, unde tantus illius est error quaerata inter verba fut. & præsentis temporis est differentia, quæ maxima esse patet ex Menoch. lib. 3. presump. 3. nu. 2. (B) c. ex literis. 5. Syluani. c. sicut. c. pen. ext. de spons. Couar. eod. 1. parte. c. 3. nu. 1. Sich. eod. nu. 12. Lud. Gielhaüßer, in arbore Iud. ciuil. c. 6. p. 7. §. 35 nu. 1.*

III I I.

Quod si controversia oriatur, quam proleta verba contrahentium significationem admittant, nos sensum eorum in dubio coimmunem accipiendum fore asseueramus.

c. ex literis. 1. de spons. argumento L. labeo ff. de supell. leg. Bald. L. lege C. de legit. hæred. inquit sermones prolatos vulgari lingua, iuxta vulgarem sensum intelligendos.

V.

Hinc num isthæc verba volo tecum contrahere matrimonium, præsentem an futurum consensum denotent, inter D D. est controversum. Nos distinguendum censemus, & si verbum volo, in his quæ à sola voluntate loquentis pendent,

THESES IURIDICE.

dent, adiungatur infinitiuo, actus initium designanti, eiusq;
suspensione, sponsalia non matrimonium contrahi assertimus.

Sylvest. in verb. matrimonium. 2. quæst. 9. Menoch. de arbit. cas.
496. nu. 2. Couar. 2. p. c. 4. §. I. n. 4. nisi conjecturæ existant, ex
quibus animus deliberatus promittendi præsent. coniugalem con-
sensum colligatur uti constat ex modo & ritu obsequialis con-
stantiensis in rubr. de ord. copulandi coniug.

V I.

Si verò verbum volo adiungatur verbo prænotati actus
perfecti executionem & matrimonij exercitium, matrimo-
nium esse contractum censebitur,

Menoch. panorm. & Couar. d. l. & ratio est quia nemo præsumi-
tur habere uxorem, nisi prius duxerit eā, qui enim vult cōsequens
& antecedens præmissum velle videtur L. illud ff. de acquir. hærs.
& præterea de off. deleg. c. prudentiam eod.

V II.

Quoties autem verbum volo additur rei solùm vel rei &
infinitiuo esse, matrimonium præsumi apud omnes in con-
fesso est.

panorm. c. ex literis. I. de spons. quia talia verba matrimonij con-
tractum denotant. Couar. d. loc. & Gielhauser. nu. 2.

V III.

Sed quid perplexa hæc verba inducant, non ducam ali-
am nisi te, non minima inter DD. est controuersia, nos hæc
& similia ne quidem pure sponsalia inducere tuebimur.

Couar. 2. p. c. 4. §. I. nu. 6. Fach. controu. lib. 3. c. 42. Emanuel
Sa. Soc. I E 9 V in verbo sponsalia. quod matrimonium non indu-
cant, patet, quia verbis futuri temporis matrimonium non con-
trahitur: quod non sponsalia, patet, quia oratio exceptiva affir-
mativa hic resolutur in conditionem per text. L. si sterilis §. fin.
ff. de actionib. empti, cont. panorm in cap. ex parte & Gielhauser.
dict. loc.

THESES IVRIDICAE.

IX.

Verum an Impuberis seu pupilli contractum aliquem celebrare valeant, (A) aut, an alij pro ipsis contrahentes, obligentur, (B) anceps est, & in vtramque partem disputata quæstio.

(A) Constat enim ex L. quod pupillus ff. de condic. indeb. impub. non obligari etsi contrabat, promittat, aut soluat, nec quidem naturaliter, (B) constat item ex §. si quis alium, inst. de inv. stipulat. promissionem facti alieni non valere.

X.

Nos ijs, quæ in contrarium adducuntur, nil obstantibus, Impuberis seu pupillos contrahentes etiam absq; tutoris autoritate naturaliter, (A) & tam efficaciter obligari, ut sponsalia inire valeant, (B) intrepidè asslerimus.

(A) per L. si eius pupilli ff. ad Trebel. L. I. ff. de nouat. L. si pupil. ff. ad L. falcid. & est ratio quia obligatio naturalis oritur ex consensu, L. Stichum. §. naturalis ff. de solut. at pupillus consensum habet §. pupillus instit. de invt. stip. (B) c. litteras. c. accessit de desp. spons. impub. L. in spons. ff. de spons.

XI.

Quod si impubes iuramento confirmet sponsaliorum contractum, queritur, an factus pubes altero impubere invito à contractu resilire valeat? Quod ob religionem iuris iurandi negamus.

Panorm. in c. ex literis de spons. Couarr. 1. parte. c. 5. §. 1. De eius in L. pupillum. ff. de R. I. unde Aretinus in consil. quodam comparat iuramentum herbae betonicae, quod valeat in omnib. contractib. perinde, ut in medicina, betonica, Sich. de iure dot. n. 12.

XII.

Hic non iniuriâ addubitatur, vtrum contractum LL. inhibitum, confirmet iuramentum? Nos non tantum contractum firmari, sed & ipsum iuramentum esse seruandum opinamur, non obstante legis prohibitione.

THESES IURIDICAE.

c. cum contingat de iure iuri. c. licet eodem in 6. DD. in authene. sacramenta pub. C. si aduersus vend. Couarr. in c. quamuis de pactis. in 6. 2. p. §. I. n. 5. qui paulo post addit nil referre an verba prohibitoria in rem sive personam sint directa, ex eo quod id legislator: non moueat, sed utilitas vel publica vel priuata. Emanuel Sa. in verbo Iurament. Armilla aurea, verbo Iurament. Myns. cent. 3. obseru. 10.

XIII.

An autem princeps secularis vinculum iuramenti remittere, & de eo statuere possit, ingens est DD. controuersia? Nos id, quoties absolutione indiget, etiam ex causa, posse negamus.

c. I. c. debitores. c. verum c. si vero c. cum quidā. §. vlt. de iure iuri. c. venerabilem de elect. c. nouit. de Ind. Couarr. var. resolut. lib. I. c. 4. & in c. quamuis de pact. in 6. I. p. §. 3. num. 8. Fachin. controuers. lib. 3. cap. 13.

XIV.

At maior est DD. contentio, Vtrum Iudex qui absolvit à iuramento, efficiatur Iudex competens in causa principali? Nobis negantium pars arridet.

per c. cum sit. de foro compet. rbi actor forum rei sequi debet, c. si clericus. eod. per c. tuam de ordin. cogn. c. lator. qui filij sint legitimi. Couarr. var. resol. lib. I. c. 4. num. 8. Fachin. lib. II. c. 77.

XV.

Communis porrò DD. est opinio, fidei interpositiō nem esse iuramento æquiparandam. (A) Nos autem illâ, ut pote fide humana, aut etiam illâ quæ nobilitatis iure contrahētibus accedere solet, contractum censeri iuratum, prorsus negamus. (B)

(A) And. Gail. lib 2. obs. 59. plures pro sua sent. alleg. eamq; communem esse affirmat. (B) per text. c. commissum ext. de spons. Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 6. Alciatus ad rub. ext. de Iure iuri. nū. §. Couar. §. 2. n. 2. p. 1. inc. quamuis de pact. in 6. arg. L. interpretatione ff. de panis.

XVI.

Vtrum verò iuramenti vinculum & religio de necessitate requirat, vt tactis S. S. Euangelij s fiat, quæstio est. Nos neq; super alia re sacra fieri necessarium opinamur.

*pertex. c. & si Christus de Iure iur. c. si aliqua 22. quæst. I. c. rur-
sus qui clerici vel vouentes & est communis DD. in rubr. de Iu-
re iur. Couar. in d. loc. I. §. I. num. I.*

XVII.

Cæterum parentes pro liberis non solum puberibus ve-
rum etiam impub. (A) siue præsentibus siue absentibus (B)
sponsalia rectè celebrant.

*c. I. de despōsat. impub. c. I. e. d. in 6. Emmanuel Sa. d. I. verb sponsa
Tho. Sanchez. de matrimon. lib. I. disp. 23. quæst. 2. n. 9. &
ratio est, quia parentes liberos vnicè diligunt L. 8. ff. quod metus
causa, vnde liberis suis de honesto coniugio prospicere præsumun-
tur L. cum pater ff. de leg. 2. (B) modo præsentes consentiant,
absentes facti certiores, ratificant. d. c. in 6.*

XIX.

Vtilis & quotidiana sed admodum intricata quæstio est,
an statutum de lucro dotis in despōsata per verba de præsen-
ti, nondum tamen cognita, nec in domum traducta, locum
habeat? Nos partem affirmantem æquitati magis congru-
am, defendemus.

*L. non sine rat. C. de bonis quæ lib. L. cui fuerit. ff. de condit.
& demonst. contracto siquidem matrimon. per consensum muru-
um, propriè non despōsi sed coniuges nominatur, despōsus enim is
dicitur qui est promissus, despōsa verò quasi promissa, casu verò
nostro promissio iam adimpta est nuptias enim non concub. sed
consensus facit, hinc cingendus proximè habetur pro cincto L. pen.
ff. de mil. testamen. hinc Cic. obiurgatus à quo piā quod sexagenari-
us puellam virginem duxisset facetè respondit, cras erit mulier,
quod de dote dictum id & in donatione propter nuptias locum ha-
bet, vbi enim eadem ratio ibi idem ius est statuendum L. fin. C. ad
L. falcid. Gaill. lib. 2. obs. 80. Anceps*

THESES IVRIDICAE.

XIX.

Anceps itidem & multum agitata quæstio est, ad quem iudicem spectet causa matrimonij? Nos eam ob Sacramentum (A) reuerentiam à potestate principis secularis, iure diuino liberam & coram Iudice spirituali agitandam asseueramus. (B)

(A) Ea enim quæ verè spiritualia sunt à Iure secularis principis iure diuino sunt exempta sed matrim. verè esse tale ostendunt verba D. Pauli ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est &c. quod etiam probat. Ambros. Catharin. lib. 5. cap. I. de matrim. ut contrarium asserentes planè hæretici sint habendi, ut egregie eos conuincunt Echius & Alf. d Castro lib. de hæresi, verbo nuptiæ, inter quos non est postremus Grammaticus ille Philip Melant. fusè Couar. 2. par. c. I. §. I. nu. 2. & pract. quæst. c. 31. sancta siquidem res est matrimonium igitur sanctè tractandum. (B) nemo enim supra Iurisd. suam Ius dicere potest. L. fin. ff. de Iurisd. omnium Iud. Bellar. 2. tom. controv. gener. de matrimon. c. 32.

XX.

Ex quo eodem fonte profluit, et si Canones in loco domicilijs sponsorum aliud statuant, (A) tamen leges loci contractus in contrahendo esse obseruandas. (B)

(A) Concil. Trid. d. loc. circa fin. Tho. Sanchez Soc. Iesu. lib. 3. disput. 18. quæst. 4. num. 28. (B) cap. I. de sponsal. cap. 2. de constitutionib. L. si fundus ff. de euictionib. Couar. 2. p. c. 7. num. 10. ratio est quia subditus extra territorium vbi lex est diversa Legib. suæ prouincianon obligatur. d. L. fin. C. de Iurisd. omnium Iud. hinc colligunt. D|D. Catholicum iter facientem die qua è carnib. abstinere tenetur per locum Catholicum vbi vetus Calendarij viget & talis non seruatur abstinentia, sine vulnere conscientia carnib. vesci posse. Couar. 4. resol. cap. 20. num. 8.

XXI.

Hinc est, quod solus pontifex Romanus personas ad contrahendū inhabiles, reddere habiles circa alia matrimonij impediri

THESES IVRIDICAE.

impedimenta leges ferre & abrogare possit, idq; nullo modo ad iudicem secularem spectare.

c. lator. qui filij sint legit. c. tuam de ord. cogn. Concil. Trid. d. loc. c. fin. quia idem Iudex est causæ præparantis & præparatae. Co- uarr. præst. resol. lib. I. cap. 4. num. 8. idq; lippis & tonsorib. no- tum esse ait. 2. part. c. 6. §. 10. n. 16.

XXII.

Et hæc adeò vera esse astruimus ut Iudicem sœcularem ne quidem de incidenti quæstione matrimon. cognoscere pos- se concedamus.

d. c. tuam de ord. cogn. ubi memorab. casum vide. Myns. ita ob- tinere in Camera Imp. attestatur cent. I. obs. vlt. quo quisq; enim est qui nesciat quanta causæ coniugalis sit grauitas, in qua non tan- tum humana sed & diuina Iura tractantur, in qua de in violabili humana societate iudicatur; quamvis non in viti fateamur posse quandoq; Iudicem sœcularem in re spirituali ad coercend. eius abu- sum. quatenus tranquillitatem & bonum publ. cōcernit, tacito Ec- clesiæ consensu, prohibitioni Canonum pœnam adiçere.

XXIII.

Pœnas vero, quæ viduis parum pudicé viuentibus, (A) item matri superstitione non petitum tutorem, & rationem administrationis non redditam, (B) à iure Ciuil. infligun- tur, nullatenus abolitas libenter admittimus.

(A) Auth. eisdem pœnis C. de secundis nupt. L. fin. C. de revoç. don. nec enim viduis turpem vitam agentib. parcendum. (B) L. om- ne m C. ad S. C. Tertullian. Etsi secundæ nuptiæ LL. satis sint odi- sae ut patet in §. fin autem tut. auth. de nupt. ubi dicitur mulierem secundò nubentem tria negligere, Deum, defuncti memoriam & filiorū dilectionem, & additur, animam defuncti mariti repetitis nuptijs tristari: attamen eæ nullo iure sunt prohibita, id quod patet ex D. Paulo ad Corinth. I. cap. 7.

XXIV.

Vnde meritò conticescit, quotidiana illa quæstio an
matrī -

THESES IVRIDICÆ.

matrimonium à liberis sine consensu parentum contractum subsistat? Nos cum matrimonij summa sit libertas, (A) id non tantum cum honestis sed cū infamib. (B) & cum in honestis personis contractum valere nec vlo modo à parentibus, rescindi posse afferimus.

(A) *c. gemma c. cum locum ext. de sponsal. Concil. Trid. d. loc. sed an filia quæ in vitiis parentib. nupsit, dote priuari & exhaeredari possit, inter DD. cōtrouertitur, nos si digno & honesto nupsit, et si dotem nullam promisit spōso, dotandam esse, & ad id parentes Iudicis officio compelli posse nō dubitamus, quia pater ad duo teneatur, honesto matrim. filiam collocare & dotare; L. qui liberos & L. si quis ff. de riuu nupt. And. Gaill. hanc. esse communem ait: quod si indigno & infami nupsit, maxima est DD. in vtramq; parentem contentio, vtraq; probabilis, affirmantū tamen ob grauem iniuriam, grauiaq; delicta in parentes, nobis (malos. n. mores puniri decet) magis arridet. (B) Infamem verò hic non pauperem nominamus bonis morib. praeeditum, sed qui nullo respectu bonorum habito, malis morib. onustus est, vti docte declarat. Gaill. lib. 2. obs. 95. pessimo tamen vbiq; locorum exemplo fieri videmus ut in contrah. matrimon. protinus ad censum de morib. ultima fiat questio, sed quam auspiciata sint talia matrimon. docet euentus peccat, enim pernitosè qui dotem potius quam coniugem querunt, & bene enim dotatis mulieribus viros plerūq; regi videmus. Laudabilius igitur Themist. Interrogatus cuinā viro filiam suam locare mallet, pauperi an verò diviti? Ego, inquit, malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam quæ viro. Cic. lib. 2. offic.*

X X V.

In foro admodum frequens est questio, vtrum dote à sponsa non constituta, omnia eius bona in dotem concessa præsumantur? Nos inter sponsam de futuro & de præsenti, maiorem & minorem, distinguemus.

L. nulla C. de iure dotium. text. in L. I. C. de dote cauit. non num.

X X VI I.

Primo itaq; casu, mulier, minor (A). siue maior, (B)
C. nunquam.

THESES IVRIDICAE.

nunquam nupta, ex promissione futuri matrimonij, bona sua tacite in dotem constituisse non præsumitur.

(A) *L. lex quæ tutores C. de administ. tutor. L. prædia C. de prædiis minor. to. ti ff. & C. de prædiis & c. minor.* (B) *quia Dōs matrimonio adesse & abesse potest, sed non contingit hoc esse quod ab hoc contingit abesse, trita L. neq; naturales C. de probat.* (C) *Conuar. 1. p. de spons. c. 5. num. 5. Gaill. lib. 2. obs. 82. Lud. Gielhau-fer, in arb. Iud. de præsumpt. §. 37. num. 1. accedit, quod famina-rum genus dicatur auarijsum gloss. in L. si à sponso C. de donat. ante nupt.*

XXVII.

Altero casu, in contractu matrimonij mulier siue mi-
nor (A) siue maior, (B) quod priori marito legitimè con-
cessit in dotem id & secundo concessisse præsumitur.

(A) *quia res semel facta alienabilis semper manet talis L. tutor rerū ff. de administ. tutor. c. vniuersaliter & ibi gloss. per quos fiat investitura*
Conuar. lib. 2. resol. c. 17. num. 4. (B) *per express. text. in L. do-
tem. ff. de iure dot. & est ratio quia non præsumitur minus erga se-
cundum quam erga priorem, affecta Gielhaufer. d. lo. num. 4.*

XXVIII.

In contrahendo matrimonio metum passo per edictum
prætoris non succurritur, vti in reliquis contractibus (A) Sed
contraetus, et si iuratus, (B) ipso iure est nullus. (C)

(A) *to. ti. ff. & C. & ext. de his quæ vi metus q; & c. metus enim regula-
riter consensum non excludit, nec ipsum actum ipso iure annullat,*
voluntas enim coacta, voluntas est, per L. si mulier ff. eod.
(B) *cap. significavit ext. de eo qui duxit in matrim.* (C) *cap. cum
locum de spons. & ratio est quia ex propria actus natura consensus
omnino liber ad matrim. est necessarius, debet enim id plena securi-
tate gaudere, ne bona quæ requiruntur in matrim. impedianter,
vti est bona fides, sacramentū, & proles, hac vero metus excludit
primo enim quod quis metu amplectitur, amare id facilē definit, &
consequenter fidem violat: deinde, quemadmodū Christus volun-
tarie carnem humanā assump̄it, ita matrim. designans illam vnio-
nem inter Christū & Ecclesiā, voluntariū esse debet, demū propter
animū*

THESES IURIDICAE.

animū ex metu alienū procreationi sibi operā nō datur panorm.
int. cū locū de spons. XXIX.

Hic quæstio illa locum habet, an iuramentum super
contraētū licito extortum metu iusto, ad euitandam periurij
exceptionem, absolutione indigeat? Quod affirmamus.

c. verū c. si verò ex. deiureiur. Conar. de spons. 2. p. c. 3. §. 5. nu. 2.
Fach. lib. 8. c. 102. Gaill. lib. 2. obs. 42. Nicol. Euerh. in lo. suis le-
gal. lo. à Iurā. vi & energia. n. 58. Emanuel Sa. verbo iuram. Le-
gista in auth. Sacra menta pub. cōmuniter id negant sed male, et si
enim quoad inferentem non sit obligatorium tamen quoad Deum
testem obligatio nascitur cap. 2. eod. aurea Armilla d. lo.

XXX.

Ad metum in virum constātem cadentem (qui instan-
tis vel futuri periculi causa mentis trepidatio dicitur (A) requi-
tur, malum graue, (B) aestimatio mali rationabilis , (c) po-
tentia minantis , (D) solita minantis executio , (E) demum
vt quod timetur , aliter evitari non possit. (F)

(A) L. 1. ff. de eo quod met. causa. &c. (B) L. simulier §. dos. ff. eod.
(C) L. met. 2. &c. eod. vani .n. timoris nulla excusatio est L. vani
timoris ff. de R.I. (D) quia metus quem infert debilis & impotens
vano adscribitur. (E) Eorū .n. qui terrent & interim umbrā suā
timent, metus iustus esse nō potest L. famosi ff. ad L. Iul. maiest. (F)
nam qui alterius auxilium implorare , aut alio modo metū euitare
potest, exceptione iusti metus gaudere nequit Sylu. in verbo metus.

XXXI.

Porro exceptione iusti metus se tueri potest, qui mortis
timore aut corporis cruciatu territus quid promittit. (A) stu-
pprum veretur. (B) Liber seruitutem timet , (c) eiusmodi
enim mala vir prudens laudabiliter effugere solet.

(A) c. cum dilectus ext. de his quae vi met. &c. L. nec timorem. ff.
ead. longè verò alia eius est ratio qui iuste captus iam iam capite
plectendus, Iudici promittit se filiam eius ducturum si immu-
nitatem polliceatur , quia hoc casu timor mortis potius au-
fertur quam infertur, id quod etiam locum habet in constituto in

THESES IVRIDICÆ.

mortis articulo matrimonium cum sua concubina contrah. mors enim hic non ordinatur ad cōtractum sed aliunde imminet & nil impedit. cap. sicut. 2. de regular. (B) L. isti ff. eod. sufficit enim quod timor stupri, sit causa promissionis. (C) L. ego puto ff. eod. quia seruitus morti aequiparatur, L. seruitutem. de R. I.

XXXII.

His accedit terror præsentium armorum, (A) iniustæ captiuitatis, (B) vincorum, (C) exili metus, (D) amittendi honoris, (E) amissionis vel bonorum omnium vel majoris partis. (F) Infamiae grauis, (G) metus denique excommunicationis iniustæ. (H)

(A) *L. met. 9. ff. eod. (B) per text. L. 5. §. captiuus autem ff. de capt. (C) Couar. in rubr. de spons. 2. p. c. 3. §. 4. num. 15. (D) Tho. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 5. num. 8. (E) Mascar. de probat. col. 2. concl. 1058. num. 53. (F) c. i. de restit. spoliat. in 6. per text. & DD. in c. 2. de his quæ. vi & c. patrimonii enim vita hominis censetur & pecunia miseriis mortalibus. anima est Couar: d. lo. nu. 18. Myns. cent. 3. obser. 27. (G) L. isti quidem & L. nec timorem ff. eodem. crudelis siquidem is est qui famam suam negligit. c. nolo 12. quæst. 1. melius enim bonum nomen quam dignitatem multæ proverb. cap. 22. (H) Couar. c. alma mater de sent. excom. 1. p. c. 7. nu. 5. metu vero minorem in fæmina quam in viro ob sexus fragilitatem admittendum id, totum Iudicis arbitrio discernendum contendit. And. Gaill. lib. 2. obs. 93. n. 9. pulchre. Couar. d. loc. num. 8. & 9.*

XXXIII.

Hinc resultat illa quæstio, an metus reuerentialis sit metus cadens in virum constantem? Nos eum ob honorem maioribus debitum, vano timori adscribimus.

L. si patre cogente ff. de ritu nupt. gloss. ad cap. præsens Clericus. 20. quæst. 3. panorm. ad cap. veniens ext. de spons. Couar. d. lo. §. 6. num. 4. Gaill. lib. 2. obseru. 93. num. 22. is enim qui iure in actu gerendo aliquem reveri tenetur, dicere nequit se ob reuerentiam illi præstitam, metu iusto actum gesisse, sed omni iure

THESES IV RIDICÆ.

filij parentes, subditi superiores, &c. honorare tenentur. L. veluti ff. de Iust. & iur. I. 1. 2. & 9. ff. de obs. par. & patron. præst.

XXXIII.

Et olim & hodiè maxima est Catholicis cum hereticis controuersia, an mulieri à qua vir discessit, ob verisimilem interitus eius probationem aut ex longo dierum intervallo, alteri nubere liceat? Nos ante compertam per certum nuntium, coniugis mortem, id nullo modo licere defendemus.

Licuit esse cōtendit Lutherus in lib. de captiu. Babyl. c. de matr. idem Philip. Melant. in loc. communib. tit. de coniug. quos sequitur. Ioan Schneid. instit. de nupt. p. 4. de diuortio num. 44. E contra verò Matthæi 5. Luca 16. Marci 10. propter solam fornicatiōem diuortium quo ad thorū permittitur. c. in præsent. ex. de sponsal. c. 2. de secund. nupt. Sa. d.lib. in verbo matr. Couar. 2. p. c. 7. §. 3. num 3. & ratio accedit, quia mulier nubens incerta, secundo, adulterij periculo se exponit, sed qui amat periculum peribit in illo. Ecclesiastici. 3.

XXXV.

At, si propter absentiam alterius coniugis etiam longissimam coniux alter cum alio contraxerit, carnisque commissione consummārit, superueniente superstite priori, quid agendum? Nos etiamsi primum matrimonium non fuerit consummitum, vxorem tamen ad priorem redire teneri nullatenus dubitamus.

c. licet & c. fin. de spons. duorum. ex vinculo enim indissolubili cōiugali ortafides alium cōiugem viuente priori, querere nō permittit, id quod etiam diuinæ institutioni è diametro repugnat, scriptum enim est & erunt duo in carne una & adhæribit uxori finē nō uxoribus suis. accedit quod matrim. licet copula nō cōsummatum ex vinculo tamen cōiugali vim propriam & individuam habet cōnectionem. L. vulg. nuptias non concubitus sed consensus facit.

XXXVI.

Nec hæreticos nostri seculi quicquam iuuat, inter absen-

THESES I V R I D I C A.

tiam iustum & iniustum distinguentes & ad illam secundas nuptias permittentes, cum id SS. litteris, (A) naturæ & substantiæ (B) matrimonij expresse repugnet.

(A) quæ ob solam fornicationem tantum permittunt divortium quod ad thorū vti supra ostensum, ergo id ad absentia non est producendum.
(B) hæc enim ex natura sua indissolubilem coniunctionem continet. sanè mirum est, hæreticos in tam inexplicabili nodo, in hocq; contractu iure diuino robusto, tā facile rescissionem admittere, cum tamen eos in aliis contractibus humanis multo infirmioribus propter absentiam siue creditoris siue debitotis, iustum seu iniustum, id nullo modo concedere velle palam sit.

XXXVII.

In controuersia quoque est, an mulier hoc casu absque crimine & pœna adulterij de facto nubat? Nos eam immunitam esse non censemus.

per d. c. in presentia, quod certum nuntium requirit Couarr. d. lo. incerta enim de morte coniugis et si mater esse velit, nubit tamencū periculo, multis enim casib. etiam sine sua culpa mulier castè et continenter etiā longissimo tempore vivere tenetur, vt si maritus graui morbo aut perpetuo decumbat, si sit captus &c.

XXXVIII.

Est porro non leuis momenti quæstio, vtrum sponsalia clandestina vnâ cum matrim. clandest. per concil. Trid. sint immutata? Nos ea suum robur habere & nullatenus sublatâ censemus.

Constat enim id expressè ex concilijs ipsius mente S. d. lo. et est ratio quia lex noua correctoria iuris antiqui, corrigit solum ius antiquum directò sibi contrarium, vt præclarè Nobilis Clariss. et doctiss. D. Frid. Martini Præceptor meus summa semper observatio colendus in tractatu suo. de Censibus in explicatione constitutionis Carol. penult. n. 18. docuit. sponsalia autem matrimonio non contrariantur ergo correctio ad ea non est extendenda L. præcipimus C. de appellat. Tho. Sanchez I. lib. disputat. 12. qui multos citat pro sua.

THESES IVRIDICÆ.

XXXVIII.

Verum perplexa , varijsque agitata sententijs est controuersia , an iure , Ecclesia , matrimonia clandestina prohibere potuerit ? Nos hac in re vni & soli S S. Ecclesiae Catholice eiusmodi potestatem & ius adscribimus.

C. tuam de ordine cogn. cap. fin. de raptor. id quod multis patet , actus enim humanos dispositioni magistratus supremi subesse , nemo sana mentis negabit , qui ex causa in bon. public. actui resistere potest , ita vt ne naturalis quidem obligatio inde oriatur , matrimonium autem esse actum humanum palam est , quare cum ex matt. cland. scelera tam atrocia profluere ab Ecclesia animaduersum esset , maximè in illis qui matrimonium cum una clam contractum mentientes , cum alia contrahunt , et cum eadem in perpetuo vivunt adulterio , contrahentibus , vt publicè et in facie Ecclesiae id agant , saluberrimè est præceptum , contrahentes aliter reddendo inhabiles : nec in hoc , iuri diuino , aut naturali detractum est , homo enim materia huius Sacramenti , iuri humano , tanquam membrum Reipublic. subest , igitur et legibus eius obtemperare tenetur , materia autem hanc cur immutare , illi detrahere aut addere non posset is , cui à Deo potestas omnis data est interris ad Reipubl. Christian. utilitatem ? Idem sentiunt D. Thomas in 4. dist. 39. articul. 1. ad 3. Couarr. 2. p. cap. 6. §. 10. Tho. Sanchez. lib. 3. disput. 4.

X L.

Amplius inter DD. controuertitur , an matrimonium clam contractum , si non valet ut agitur , an valeat eo modo , quo valere potest , adeoque in vim sponsalior. subsistat ? quod negamus.

Præfatum enim Concil. Trid. personas clam contrahere matrim. attentantes ad contrah. non solum reddit in habiles sed et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit , pro ut eos de facto annullavit , irritosque fecit , et sic quando lex contractui omnino resistit , locus est regula contraria , si non valeat quod ago , ut ago nec valeat ut valere potest . Tho. Sanchez.

Quod

THESES IURIDICAE.

X L I.

Quod usque adeò extendimus, ut ne iuramento (A) quidem aut copula carnali interueniente, (B) vim sponsaliorum aut matrimonij acquirat.

(A) reg. vulg. nō est obligatorium cōtrabonos mores præstitum iuramentum. (B) In quo ius Canon. à Concil. Trid. est correctum, quod in sponsis ex copula præsumebat matrimonium Nauarr. 2. p. decreti cap. 22. num. 25. Tho. Sanchez. d. l.

X L I I.

Nec obstat nobis eorum calumnia, qui asserunt, hinc iuuenibus puellas spe futuri matrimonij, vt corporis sui copiam faciant, molli brachio inducendi ac decipiendi fenestram aperiri: Nos enim sub hoc prætextu iuuenes puellis virginitatis signacula auferentes, & grauissime peccare, & propter datam fidem illatamq; iniuriam, eas ducere teneri non dubitamus.

c. de coniugali 27. quæst. 2. c. I. & 2. de adult. Nauarr. 2. p. cap. 16. num. 18. Sanchez. lib. I disp. 10 num. 3. & est ratio, quod is qui fidem ad futur. matrim. dedit, eadem seruare & contractum promissum celebrare teneatur. c. ex literis. S. Syl. c. sicut de spons. Fumus in d. aurea armilla, in verbo restitutio §. 22. accedit quod omnis contractus ex iustitia commutativa obliget, sed hic est talis, D. Thomas 4. d. 27. quæst. à I. ad 2.

X L I I I.

In nonnullis locis mos obtinuit, ut ad contractum sponsaliorum parochus aduocetur, & in præsentia cognatorum ad id rogatorum per certa verba contractum sponsal: confirmet, quæstio est, vtrum id Concilio Trid. sit conforme ac consentaneum? Nos propter textum apertissimum, in castra negantium concedimus.

Profecto insipienti tex. omnino manifestum euadet, id quod etiam ex ipsa rubr. patet quæ est de reformatione matrimonij non sponsalior. & quæ ad matrim. tantu mō autem ad sponsalia Parochi

præsentiam

THESES IURIDICAS.

præsentia requirit, patet & inde quod à patrib. Concilij Trid. non sponsi sed coiuges in præsentia parochi coniuncti, appellantur, patet idem ex causa impulsua mutationis matrimonij clandestini, ut nimirum adulteria vitentur, quæ in sponsis de futuro non committuntur.

XLI V.

Etsi regulariter auctor forum Rei sequi debet tamen non obstante hac L. plures Rei diversi fori & iurisdictionis, propter litis consortium coram uno eorum omnium mediato superiore conueniri possunt.

(A) *L. iuris ordinem C. de Iurisd. omnium Iud. cap. sanè ext. deforo compet.* (B) *c. fin. ext. de rescript. L. 1. & 2. ff. de quibus reb. ad eundem Iud. eatur. L. si cognati. C. de negot. gest. Sich. in L. nulli C. de Iudicis. Myns. cent. 1. obs. 4. Gaill. lib. 1. obseru. 32. Gielhauser in d. l. c. 5. nu. 51. eam quippe ob rationem ut lites qua materiam dissidijs præbent & publ. tranquillitatem devastant, abbrevientur.*

XL V.

Quod usq; adeò obtinere volumus, ut siue ex actione reali siue personali in rem agatur, quæ diversis foris sit subiecta, omnium superior sit adeundus.

per L. nulli C. de Iudic. c. 2. ext. de causa proprietatis & possess.
Gielhauser d. loc.

XL VI.

Sed dubitatur utrum procedat casu quo alter ex Reis sit subiectus principi à Cam. Imp. Iurisdictione exempto: alter vero principi qui immediate Imperatore superiore recognoscit. Quod ne causarum continentia dividatur, affirmamus.

*E. G. alter subiectus est, Serenissimo Archiduci nostro Austria-
co, à cuius Sereniss. C. sententia in Cam: Imp: appellatio non re-
cipitur, ob exemptionis priuilegiū. Alter vero Duci VVirtenber-
gico qui immediate Imperatorem superiore recognoscit. & ita
obseruatū in Cam. Imp: testis est Mindan.lib. 1. c. 2. de cōtin. causar.
Gaill. d. lo. & est ratib, quia priuileg. ultra expresso casus non sunt
exempti.*

THESES IURIDICAE.

XLVII.

Addubitat amplius, an, si princeps diuersa haberet territoria, & duo pluresue subditi essent in eadem causa conueniendi, verum sub diuersis siti Regimi inibus causarum continentia locum habeat? Ad quod affirmatiue respondemus.

Generale enim est ex causar. continentia proxime superiorem adiri, & omnia gradatim fieri ita DD. in L. nulli C. de Iud. Mind. & Gaill. d. lo. Gielhauser. d. lo. nu. 58.

XLVIII.

Controuersia verò non exigua est, an causarum continentia habeat locum in bonis feudalibus? Quod cum distinctione affirmamus.

Myns. cent. 3. obser. 67. Gaill. lib. 1. obseru. 117. nu. 7. per ea que Fach. lib. 7. controuers. cap. 77. in simili tradit. pulchre Henricus & Rosenthal. in tractatu' feudali to. 2. c. 12. nu. 83.

XLVIII.

Porrò controuertitur, an cæpto litigio, (A) etiam superueniente exemptionis priuilegio, (B) quis forum seu iudicium declinare valeat? Ad quod negatiue respondemus.


(A) L. fin. C. de in ius voc. per text. L. venditor. ff. eod. (B) Conar. pract. quaest. cap. 8. nu. 2, & c. 9. nu. 6.

L.

Demum connexitatis vinculo efficitur, vt mulier naturalis tantum, nupta viro legitimo, dignitate mariti & splendore coruscatur.

per text. L. si quis naturalem C. de nat. lib. L. fin. C. de incol. L. famina ff. de senator. Gaill. de pace publ. lib. 1. cap. 6.

ORNAT



ORNATISSIMO AC DOCTISSIMO DOMINO M. IO- AN. CHRISTOPHORO METZGER, HAS- CE DOCTISSIMAS THESES TYPIS committenti ad prælum accinuit.

*Q*ui responsa pari nec tis tā dis̄ita chartā,
Nescio cui: tamen est, cui placet esse parē.
Anne ouibus lato timide palantibus aruo?
An magis extra oleas qualis aberrat, equo?
Antè retroq; fremit, furit, unus utrinq; &
ubiq; est
Trux leo, cū mutos dissipat vngue greges,
Fortis idem miles: neq; sedemoratur in una
Aut unum florem sedula libat apis.
His magis: hoc laudis. modo consere, non
erit una
Postea, quæ te iam laurea certa vocat.
Amoris & necessitudinis ergo.

Ioan: Balth: Schlegell, LL. Stud.

F I N I S.